

sine summa impietate restitui potest. Quare eadem abolita forma coenae Christi in diuinis libris commendata ubique et ab omnibus Christianis sequenda est et purissime seruanda, nisi se prophanatae coenae Dominicae reos coram Deo constituere malint quam uerae participes esse.

5 De Ceremoniis et usu sacramentorum.<sup>36</sup>

Vtinam proponerentur ceremoniae, quae et a prauis opinionibus purae essent et doctrinae sinceritati seruandae et sanctae concordiae conciliandae retinendae seruirent, talium nos quantamlibet farinam haud grauatim ferre sustineremus, uerum cum primum proponantur corrupta dogmata, deinde accedant  
10 supersticiosae et inutiles ceremoniae, per humanas traditiones in immensum multiplicatae (quae ut conscientias opinione necessitatis, perfectionis, iustificationis, satisfactionis, meriti aut pietatis illaqueant, sic impium paganismum magis olent, quam ut [211:] christianae religioni uel alendae uel ornandae seruire possint) cum quibus nullus Euangelio, nullus pietati, nullus salutari  
15 concordiae, nullus denique regno Christi locus est, nullum hae in Ecclesia Christiana locum habere debent. Et quandoquidem eiusmodi (pro maiori parte) sint, quas liber, tanquam omni uitio carentes commendat, quas nec retinendas, nec restituendas esse iudicamus, nisi restituta primum doctrinae coelestis sinceritate, per quam et harum alique repurgatae restitui poterunt et  
20 quicquid est fermenti, expurgari.

Conclusio Censurae.

Continet quidem liber pleraque multa, quae si uel seorsim dicerentur, uel recte accommodarentur, et uera et non inerudite dicta uideri possent et piis omnibus amplectenda essent atque exosculanda. Verum eadem, ut in libro  
25 Interim admixtione errorum et supersticiosorum dogmatum prophanantur atque deprauantur, neque agnoscenda sunt, nec acceptanda fidelibus, sed una cum adiunctis mendaciis et dolis callidissimi-[212:]me consutis repudianda sunt et relinquenda, et ad legem magis ac testimonium respiciendum, ne  
30 salutari ueritatis luce errorum caligine extincta, internae pariter et externae tenebrae (quod Deus auertat) succedant et quasi postliminio ad multorum perniciem redeant.

<sup>36</sup> Vgl. Augsburger Interim XXVI (De caeremoniis et usu sacramentorum), 134–145.